

I. L. Thomassen

5007

50059 | P

D I S S E R T A T I O M E D I C A
I N A U G U R A L I S.
D E
O P H T H A L M I A
N E O N A T O R U M.

Q U A M ,
A N N U E N T E S U M M O N U M I N E ,
E X A U C T O R I T A T E ,
R E C T O R I S M A G N I F I C I ,

E. J. T H O M A S S E N
A T H U E S S I N K ,

A. L. M. Med. et Phil. Doct. Med. Theor. et Pract.
Therap. et Med. Forensis, Clinicae, atque
Nosocomii Academicci Profesforis Ordinarii,

U T E T

A m p l i s s i m i S E N A T U S A C A D E M I C I C o n f e n s u ,
e t N o b i l i s s i m æ F A C U L T A T I S M E D I C A E D e c r e t o ,

P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,

S u m m i s q u e i n M E D I C I N A H o n o r i b u s a c P r i -
v i l e g i i s , r i t e e t l e g i t i m e c o n s e q u e n d i s ,

P u b l i c o E x a m i n i s u b m i t t i t

S Y B R A N D U S E L Z O S T R A T I N G H ,


G R O N I N G A N U S .


A d d i e m x v i . J u n i i M D C C X C V I I I H o r a X .



G R O N I N G A E ,

A p u d V i d u a m J A C O B I B O L T .
M D C C X C V I I I .





VIRO OPTIMO
GOSEWINO ACKER,
PHARMACOPEO APUD GRONINGANOS
EXPERTISSIMO, VITRICO INDULGEN-
TISSIMO, PATRIS ADINSTAR OMNI FI-
LIALI AMORE PROSEQUENDO.

NEC NON

VIRIS
*MUNERUM GRAVITATE, ERU-
DITIONIS FAMA ET INGENII
SPLENDORE, MAXIME CON-
SPICUIS, PRÆCEPTORIBUS
ÆSTUMATISSIMIS.*


UT ET

AMICIS
*DE SE, SUISQUE STUDIIS
BENE MERITIS.*

In grati animi tesseram hasce
studiorum primitas scias facit
AUCTOR.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30346976>



DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS.

DE OPHTHALMIA NEONATORUM.



INTRODUCTIO.

Animus mihi fuerat pro specimine Inaugurali experimenta quædam instituere ad vires Plantarum detegendas, quæ su' familia Rhoum comprehenduntur, & imprimis operam dare, ut virtutes Rhus Toxicodendri, a multis Recentioribus eximie laudatas, indagarem; — verum pertractatione hujus materiæ amplæ jam susceptra, mox non tantum experiebar proposito tempore illam absolvi

A

non

2 DISSERTATIO MEDICA

non posse, sed et imprimis vires meas Practicas longe superare, quæ haud exiguae sine dubio requiruntur, ut cum successu hujus generis experientia pertractari queant; quare potius hanc materiam non seponendam, sed solum differendam esse arbitrabar, tempore magis opportuno, dum experimenta ulterius capienda sumi instituturus.

Evolvens igitur morborum historias, quas colligere mihi contigerat in Nosocomio Academicō, ut invenirem materiam, quæ priori posset substitui, inter alios notabiles casus attentionem meam exercitabat observatio Ophthalmiæ peculiaris, in recensato nonnumquam obviæ, eamque imprimis descriptione dignam putabam, dum frustra apud multos Auctores observationes, naturam hujus morbi illustrantes, quærerem; quum Recentiores quidam, quorum scripta nondum in omnium manibus versantur, interea hanc Ophthalmiæ speciem exhibuerint. —

Cui consilio cum annuebat simul Praceptor meus astutissimus E. J. THOMASSEN à THUESSINK, statim manus operi admovendas esse opinabar, ut pro-

pro temporis, quod mihi supererat, brevitate, succincte, quantum id vires juveniles permittant, hunc morbum delinearem, ejusque indolem observationibus quibusdam patefacerem.

Cuivis autem, vel me non monente, evidens erit, considerationem morborum, quibus infantes plectuntur, utilissimam esse, & lubenter statuet cum Doctiss. WICHMANNO, (1) si umquam lustraverit attentamente hanc Medicinæ partem, quod major infantum mortalitas prima vitæ periodo, ratione habita ad vitam magis proiectam, imprimis repetenda sit ex difficillima, et nondum adeo elaborata, morborum Infantilium Diagnosi; ideoque laudanda esse cuiusvis conamina, quantumvis non omnibus numeris absoluta, mecum facile agnosceret, quæ attentionem Medicorum in hanc rem utilissimam excitare valent.

A 2

CA.

(1) Conf. J. E. WICHMANN, Ideen zur Diagnostik. T. I. pag. 22 & 23. 1794.

4. DISSERTATIO MEDICA
C A P U T I.

Morbi Expositio.

§. I.

Infantes, simulac in lucem editi sint, multis obnoxios esse morbis, testantur egregia illorum monumenta, qui ex industria primæ ætatis morbos delinearunt; — dati tamen quædam, ab iis leviter notata, si non plenarie prætervisa, vitia, evidens erit, si opera egregia hunc in finem conscripta, consulantur, in quibus ne vestigia quidem inveniuntur, ex quibus pate-re posset, hanc Ophthalmiæ speciem iis cognitam fuisse.

Quodsi præterea evolvantur Opera Linnæi, Vogelii, & Sauvagesii, ordine systematico morbos exponentium, hanc Ophthalmiæ speciem plane eos omisisse patebit; immo, quod mirandum est, Doct. DANIEL in recuso Sauvagesii Opere Nosologico, hancce speciem non apposuisse.

Si autem Veterum lustrentur monumenta, non nisi ad finem sæculi præcedentis vestigia deteguntur, Medicorum attentionem ad se traxisse hunc morbum.

L. RI-

L. RIVERIUS (2) enim, Medicus eo tempore eximus, hanc dedit descriptionem, „ Infans recens natus, oculorum rubore afficiebatur cum multis sordibus, puris instar inde fluentibus; per tres menses affectus continuavit, & multa collyria admota nihil contulerunt. Tandem ex præscripto cuiusdam Medici gossypium singulis noctibus admotum est utrique oculo, quod prius ad prunas diligenter exsiccatur, digitis disceprium & bene carminatum; postmodum uterque oculus contegebatur pauca cotonis quantitate instar plumaceoli, fascia superindueta. Mane gossypium auferebatur dictis sordibus valde imbutum; continuando remedium per plures noctes infans cōprime curatus est”.

Post eum a nemine eo tempore sicut descripta, & solidata ejus pertractatio hisce diebus relicta est. Cum inter Germanos descriptiones exhibuerunt hujus morbi egregias nuperius Doct. SCHÄFFER, (3) REIL, (4)

A 3

KOR-

(2) L. RIVERII, Op. Omnia pag. 581. obf. 5.

(3) SCHÄFFER, Von der Eiterung der augendekkel-drusen, als einer noch nie beschriebene krankheit neugeborner kinder. prostat hæc tractatio in samml. Auserl. Abh. von Kech T. V. pag. 302.

(4) J. C. REIL, Memorab. Med. Pract. Vol. I. Fasc. I. pag. 106. Halæ 1790.

6 DISSERTATIO MEDICA

KORTUM, (5) GÖTZ, (6) & SIEBOLD, (7);
cum etiam ea inter Anglos seu laude non carent, quæ
in operibus Doct. ARMSTRONG, (8) WARE,
(9) BLAIR, (10) & DEASE (11) de hac Oph-
thalmia proposita leguntur.

Præter hos enumeratos auctores non defunt, qui
leviter tantum de ea mentionem fecerint, inter quos
Doct.

-
- (5) C. G. T. KORTUM, Medic. Chirurg. Handb. der Augenkr. Vol. I. pag. 113. 1791.
- (6) J. G. GÖTZ, Dissertatio de Ophthalmia Infantum recens natorum. Jenæ 1791.
- (7) STARKS Archiv. Vol. IV. pag. 558.
- (8) G. ARMSTRONG, An account of the diseases most incident to children from their birth, till the age of puberty. Lond. 1777. Versionem Germanicam curavit. J. G. C. SCHÄFFER. Regensb. 1786.
- (9) J. WARE, Remarks on the Ophthalmia, Psorophthalmia and purulent Eijes etc. Lond. 1780. horum duorum operum brevis expositio exhibetur in Auserl. Abh. & von KOCH, prioris Tom IV, parte 1, pag. 46. posterioris T. VI. pag. 424.
- (10) BLAIR, Observ. on Ophthalmia. Lond. 1780.
- (11) DEASE, Bemerkung. über die Entbindungskunst. Leipzig 1788.

Doct STOLL, (12) BELL, (13) SELLE, (14)
GIRTANNER, (15) Aliique recenseri debent.

§. II.

Adgreditur infantes hæc Ophthalmiæ species vario post natales tempore; unanimi tamen consensu auctorum constat, quod ordinarie invadat a primo ad 14^{tum} ætatis diem, imo rara sint exempla, serius accidisse.

Uterque oculus fere semper simul corripitur; licet aliquando unus prius afficiatur altero: cujus exemplum etiam habet SCHÄFFER.

In initio palpebræ intumescunt, & levi rubore inflammatorio corripiuntur, unde tarsi ad se invi-

A 4

cem

- (12) M. STOLL, Prælection in divers' morb. chron. VI. pag. 39.
- (13) B. BELL, Lehrbegrif der Wundartzneik. T. 3.
- (14) SELLE, Handb. der Medic. Praxis pag. 445. Berl. 1789.
- (15) C. GIRTANNER, Verhand. over de Ziekten der kinderen. pag. 58 & 158. Leidæ 1797.

cem premuntur, & conglutinantur, præcipue cum dormiant; inflammatoria dispositione harum partium de die in diem aucta, ex oculorum canthis effluit materies quædam flava, initio tenuis, dein spissa, nonnumquam striis sanguineis mista, cum pure multum conveniens.

Quodsi jam palpebræ prius emollitæ, cauta manu separentur, oculi bulbus ab omni parte hac materie purulenta tectus deprehenditur, ita ut, si quis ne sciret naturam huius affectionis, putaret, ipsam oculi fabricam esse destructam, & omnia in purulentum liquamen esse conversa. Sed purulenta hac materie diligenter ex oculis lavata, primis morbi diebus, ipsa oculi fabræ nullam subiit læsionem; præterquam quod Cornea non raro retrocedat propter palpebrarum intumescentium pressionem. Si vero palpebræ arcte claudantur, ita ut cavum palpebras inter et oculi bulbum depurari nequeat, & materies hæc purulenta ibi stagnet, bulbus non raro læditur, & varia contrahit vitia.

Interior palpebrarum superficies, imprimis earum margines exhibent Inflammationis manifesta indicia,

ita

ita ut merito pro Blepharophthalmia habeatur. Ordinarie palpebræ introrsum vertuntur (quod audit Entropium) aliquando extorsum flectuntur unde & periculum morbi, & curæ molestia multum increfcunt, (vocatur illud vitium Ectropium).

Ad lucem oculi affectorum admodum sensiles sunt, vagitu quippe molestiam & dolorem statim indicant, si luci nimis serenæ exponantur.

Fere semper sola existit hæc Ophthalmia, & in reliquo corpore nullum conspicitur vitium; observarunt tamen aliquando medici, durante hac Ophthalmia, erumpere exanthema quoddam pustulosum universale; imo Doctis. ANDRY (16) memorat casum infantis peculiari illa telæ cellulofæ induratione laborantis, in quo simul palpebræ hac inflammatione affectæ erant.

(16) Conf. Andry sur l'endurcissement du tisu cellulaire dans les enfans nouveaux nés Obs. 3, prostat hæc tractatio in Histoire de la Société de Medicine pag. 207. Anni 1784 & 85.

§. III.

Primitus morbi diebus, raro si umquam febre afficiuntur, potius optima sanitate frui videntur, vegeti sunt, et omnes corporis functiones ex voto peragunt; verum elapsis duabus, vel tribus septimanis febricula eos corripit, quæ sæpe increscit, unde omne nutrimentum fastidiunt, et vagitu continuo matres vexant, alvus antea constipata, nunc soluta sit, et deponunt materiam viridescentem, acidum manifesto spirantem, unde vires exhauriuntur, et mors inevitabilis sequitur.

§. IV.

Non tantum febris, quæ progressu oritur, morbi periculum auget, sed etiam secretio illa humoris purulentæ; nam illa fere semper increscit post 8^{um} vel 10^{um} morbi diem.

Si enim propter palpebrarum coadunationem ex oculis effluere nequeat, mora acredinem contrahat necesse est, corrodat ipsum oculi bulbum, ejusque

que fabricam organicam destruat; imprimis autem illud metuendum est, si corpus scateat quadam humorum degenerata indole, qua devastatio harum partium sensilium magis inevitabilis redditur.

Observatione enim multiplici Auctorum constat, Corneam saepe pelluciditatem amittere et maculis affici; imo teste Doct. UNDERWOOD (17) accidit, quod oculus plenarie ab hac causa destruatur.

Tunica quoque Albuginea saepe inflammationem subit, unde abscessus in ea formantur.

Si jam externae haec oculi partes laesae sint, cuivis sponte patet, humores oculi facile vitiari et purulenta hac labe imbui, illud non raro accidit in humore Aqueo, cuius sequela saepe observatur Cæcitas.

In summo palpebrarum tumore vidit Doct. WARE Corneam fuisse disruptam.

Palpebrae saepe concrescant, si, superficie Epidermide denudata, diu coadunatae fuerint, quod adeo facile ubivis locum habet, si partes inflammatæ vel sibi, vel aliis partibus contiguæ sint. Quod-

(17) UNDERWOOD, On the diseases of children Vol. II. pag. 17. Lond. 1789.

Quodsi palpebræ in hoc morbo extrorsum ver-
gant, evicit experientia, Inflammatione licet sana-
ta, palpebras vel diu, vel semper hanc positionem
servare: quibus accedit, quod nonnulli observave-
rint, morbo devicto, per totam vitam Myopes
quosdam mansisse.

§. V.

Licet optima medela tempestive adhibeatur, lento
nihilominus gradu sanationis scopus attingitur; nam
constans observatio Medicorum confirmat, curam ex
voto succedere, si 40 vel 60 dies non excedat; impri-
mis autem in longum excurrit morbus, si ipse oculi bul-
bus hoc vel illo modo affectus fuerit; eo quippe in
casu ex primario vitio secundarium rascitur, quod
peculiaria exhibet symptomata, adeoque peculia-
rem requirit tractandi methodum.

Spes tamen sanationis cito affulget, si quantitas
materiæ purulentæ, quæ ex oculis depluit, minor
fiat, indicio Inflammationis vehementiam minui:
si cæteroquin Infantes non nimis debiles sint, sed
suffi-

sufficientem virium mensuram habeant ad morbum sustinendum, imprimis eo tempore necessariam, quo febre corripiuntur.

Præ cæteris hic salus augurari licet, si causæ, quibus morbus adscribendus est, levioris indolis sint, quod melius intelligetur, si varias exposuimus causas, quæ morbo ansam præbere solent.

Curationem retardari, sponte sua sequitur, si peculiaris quædam dispositio morbosa in corpore delitescat, & vel acre Scrophulosum, vel Syphiliticum humores inquinent, quæ ita evolvuntur, in actum deducuntur, et in debilitato corpore mortem accelerant.

§. VI.

Quæ hucusque monuimus de hujus Ophthalmia indole, exhibent ea, quæ in summo hujus morbi gradu observantur, quando peculiari hoc nomine a plerisque tantum insigniri solet; quum levior gradus, quamvis morbus ejusdem sit naturæ, perverse ab his consideratur huc non pertinere: consistit autem

in levi serosa marginum palpebrarum inflammatio-
ne, (Germani illud exprimunt *das Flüschen an
Auge*); hæc affectio absque ulla noxa fertur, et
sponte sua sanatur Infans.

Videtur quoque Doct. GIRTANNER, (18)
hanc diversitatem indigitare, dum duas hujus mor-
bi species sub diverso capitulo describit.

§. VII.

Infantes ex multis aliis causis Ophthalmia quæ-
dam, quæ nullam cum modo descripta alit affini-
tatem, corripiuntur. Ne igitur quis in errorem du-
catur, quædam monenda veniunt, quæ omnem con-
fusionem præpediunt.

Sollicite enim inquirendum est, an quædam de-
tur exanthematum suppressorum suspicio; an infans
Tinea capitis, Crusta Lactea vel alio quodam Ex-
anthemate laboraverit, quorum vestigia quidem non
amplius inveniuntur; satis enim superque evincit ex-

pe-

(18) Conf. GIRTANNER l. c. pag. 58.

perientia hæc Exanthemata facile retrocedere, ali-
asque partes magis nobiles occupare.

Præterea cogitandum est, si Ophthalmia quædam
Variolas vel Morbillos insequitur, de materiæ Va-
riolosæ, vel Morbillosæ ad oculos Metastasi, ne
morbi prægressi effectum pro idiopathica affectione
salutemus.

In modo memoratis casibus discrimen elucessit
non tantum ex morborum prægressorum indole cog-
nita, verum optime ex ipsa inflammationis sede; si
enim ab hisce causis dependeat Oculi Inflammatio,
materies acris retropulsa statim occupat, vel Ocu-
li partes internas, vel tunicas externas, illæsis pal-
pebris; contrarium obtainere vidimus in modo de-
lineata Ophthalmia recens Natorum, ubi sedem
mali constanter palpebræ constituunt, et Oculi bul-
bus non nisi per consensum progressu morbi afficitur.

Observandum quoque est, Doct. DOUBLET
(19) non raro vidisse, infantes post diem natum

7^{mum},

(19) Conf. DOUBLET, Mémoire sur les symptomes,
et le traitement de la maladie Venerienne dans
les Enfans nouveaux nés. Paris 1781.

7^{mum}, vel 8^{vum}, Gonorrhæa laborasse, in quibus, si imprudentur supprimeretur hæc secretio, materies illa acris ad Oculum deferebatur, ibique Inflammationem producebat, in eo a genuina recens Natorum diversam, quod vehementi modo Oculi bulbum adgrediatur, ejusque fabricam graviter lædat.

Cæteroquin in Infantibus, vitio Scrophuloſo inquinatis, ſæpe occurrere folet quædam Ophthalmie species, orta a materia acri huc delata, quæ eo facile a reliquis diſtinguitur, quod conſiftat in parvis ulcusculis ſerum acre fundentibus, quæ ex bulbis Ciliorum morboſe affectis oriuntur.



C A P U T II.

Causarum Expositio.

§. I.

Causatum explanatio, quibus hæc Oculorum affectio adscribi debet, multis premitur difficultati-
bus

bis exin obortis, quod Medicis ea, quæ ad ejus formationem concurrere debent, nondum rite cognita, atque perspecta sint; unde omnes fere, quotquot de hoc oculorum vitio scripsere Auctores, diversas circa causarum indolem tueantur opiniones, quæ nullam, ratione effectum incorpushumanum, colunt affinitatem.

Multi omnem prætereunt prædispositionem, morbum vel simul producentem, vel saltem augmentem, cum eum ubivis a cauſſa quadam externa occasionali derivari posse autumant: — favere tamen in nonnullis casibus huic morbo producendo peculiarem corporis diathesin, verosimillimum videtur, cum observatio docuit, debiles imprimis, laxos, scrophulofibros, venereos, aliisque vitiis subjectos Infantes, huic labi obnoxios esse; immo quoque liquet, præ cæteris illam occurrere apud homines tenuioris fortis, qui male nutriuntur, summis fardibus vitam agunt, eamque non raro desidiosam et turpem; unde etiam ratio petenda est, quare in locis publicis, (20) ubi gravidæ pauperes puerarium absolvunt, tam frequens offendatur.

B

Ma-

(20) Conf. J. C. LÖDER Chirurg. Med. Beobagt. pag. 269.
1794.

18 DISSERTATIO MEDICA

Matres enim eo in casu foetui alimentum largiuntur, durante graviditate, vix nutriens, vel simul inquinatum peculiari humorum maternorum vitiata indole; hinc ejusmodi Infantes ita debilitati non facile resistunt potentia^e cuidam nocenti, quum illico diathesis delitescens prava evolvatur, et morbi vim intendat.

Confirmari quoque illud eo videtur, quod saepe observaverint Medici cum hac Ophthalmia erumpere exanthema quoddam cutaneum scrophulosum; quod etiam in binis casibus observare mihi contigit.

§. II.

Caussarum Occasionalium non tantum insignis numerus recensetur, sed et diversitas multa in iis obtinet.

Qui cum Doct. SCHÄFFER faciunt, in ea versantur opinione, quod expositioni Infantis neonati lucis radiis haec Ophthalmia sit adscribenda, praecipue si haec conditio diu conservetur.

Quam-

Quamvis negari nequeat, oculum, organum tam sensile, si stimulo fortiori afficiatur, uti luminis, Inflammationem posse ab hac caussa subire, quod autem unice huic caussæ adscribatur, vetat aliorum experientia, qua evictum est, morbum hunc sæpe adfuisse, quamvis actioni luminis fortioris non expositi fuerint.

Si consideremus, sedem hujus Inflammationis esse internam palpebrarum superficiem, eam initium sumere ab illarum margine, continuo magis disseminari per totam internam membranam, oculumque numquam nisi propter commercium cum parte affecta illam adgredi, simul evidens erit, non ita inter caussas occasionales actionem luminis nimis sereni esse ponendam, quia in palpebris sanis lumen nullam reactionem (21) morbosam excitare potest: multum facit lumen, si Inflammatio jam adsit, ad

B 2

ejus

(21) Ut morbus producatur cum Celeb. Hufeland. (Ideen Uber Pathogenie pag. 5.) statuimus, quod requiriatur non tantum, ut stimuli percipientur, sed vires vitales peculiariter reagant ad hosce stimulus, ita ut morbus sic effectus compositus ex duabus hisce conditionibus.

20 DISSE^TAT^O MEDICA

eius vim augendam, cum partes affectæ magis sensiles redditæ sint.

Cum lentiret Doct. SCHÄFFER difficulter ex hac caussa morbum ubivis posse derivari, aliam simul proposuit opinionem, quæ tamquam conjectura considerari debet.

Cum in partu laborioso et difficultili Infantes diu morantur in vagina, antequam vel Naturæ, vel Artis ope, ex his angustiis educuntur, hoc in casu sæpe variæ corporis partes læduntur, et imprimis propter compressionem illatam fugillationes hic et illic oriuntur; rogat igitur Auctor, an non intali partu palpebris vis inferri posset, unde statim post partum Inflammatione, ex contusione orta, corripiantur?

Negari quidem nequit in tali partu Infantem vario modo posse lædi, cum Experientia hujus rei testimonium manifestum exhibet; cuilibet tamen mirum videri oportet, illæso reliquo corpore, oculos tantum suis affectos; -- Oculi enim orbitis reconditi jacent, et ubivis ambiuntur ab ossibus duris, præ iis eminentibus, unde, si vis quædam hisce locis applicaretur, præcipua læsio in oculos ambientibus

par-

partibus observari deberet, in quibus tamen nullam læsionem simul cum hac Ophthalmia observarunt hujus mali attenti Observatores.

Præterea in memoriam revocandum est, sæpe numero hac Ophthalmia correptorum palpebras nullum præbere læsionis indicium per aliquot post partum dies; ita ut cum Doct. SCHÄFFER (22) multi observaverint, Infantem die ætatis 8vo. inopinato absque prævio indicio morboſo fuisse correptum; si enim a læſione morbus derivandus esset, palpebræ statim exhibere debebant quædam, vel confusione, vel ecchymoseōn indicia, dum sanguis stagnans, si non resorbeatur, degeneret, et Inflammationi ansam præbeat.

§. III.

Ab hac SCHÄFFERI opinione recedit Doct. ARMSTRONG, qui putat hanc Ophthalmiam a suscepto frigore esse repetendam; animadvertisit enim

(22) Vid. SCHÄFFER l. l. Obs. 2da.

summo jure, matres s^epe Infantes ruditer tractare, et tempore frigido ac humido parum curæ habere, ut in neonatis ille caloris gradus, quo in utero materno sovebantur, non nimis cito et imprudenter mutetur; unde sponte sua sequitur, quod varia vitia in corpore infantili oriri possint, inter quæ non insimum locum occupat Ophthalmia rheumatica serosa, orta a materie perspirabili retenta, quæ stimulando glandulas Meibomianas, secretionem morbosam inducebat.

Quod in multis casibus hæc Inflammatio ab ejusmodi cau^sa sit derivanda, non omni probabilitatis specie caret, imprimis cum ex ejus indole patebit, esse Inflammationem passivam, ortam ab acri stimulo applicito, quodque ulterior curâ hic adhibenda confirmabitur.

Doct. Medicus ECKHOLDT (23) opinionem ab hisce diversam fovet; opinatur enim, hanc affectionem esse derivandam ex vi palpebris

il-

(23) Conf. Sammlung auferles. Abhand. von Koch IV.
Pag. 308.

illata, cum nutrices oculos lavent spongiis duris,
atque impuris.

Nonne potius inter caussas poneretur neglectus
debitæ oculorum depurationis, si takem caussarum
classem in censum ducere velimus?

Corpus enim Infantis recens nati, viscida ac im-
pura materie tectum est, ex liquore amnii deposita,
quæ præ cæteris partibus plicas quasvis corporis ad-
implet, rimas, et cavitates obducit, unde etiam facile
inter palpebras colligitur, et talia loca, nisi rite a
fordinibus depurentur, in Inflammationem rapit prop-
ter acrem, et corrodentem ejus indolem.

Dantur etiam, qui cum Doct. VOGELIO (24)
adducant alias caussas physicas uti vapores nocivos,
aëris corruptam indolem, et ita porro; videntur
tamen hæ caussæ imprimis vim suam noxiā exserere
posse, si palpebræ ab alia caussa jam affectæ fue-
rint; quum interea dubitare liceat num in sanis
palpebris talia Inflammationem excitare queant.

(24) Conf. S. G. VOGEL Handb. der Pract. Arzneywissenschaft T. IV. pag. 54. 1795.

§. IV.

Præter modo dictas caussas aliæ, eæque magnopere ab iis diversæ, memorandæ veniunt; quæ, quamvis a paucis notentur Medicis, tamen negligendæ esse non videntur, et merito caussarum numero adscribuntur. — Scilicet si omnia rite perpendamus, quæ hanc Inflammationem comitantur, verosimile omnino videtur, quod consideranda sit tamquam topica affectio palpebrarum orta ab applicatione materiæ cujusdam acris irritantis, et quod in nonnullis casibus oriri possit a materia venerea vel leucorrhœica, vaginam matris occupantibus, cum Infans nascetur, quæ tunc palpebris adhærens Inflammationem producat.

Ut hæc assertio debite confirmetur, quædam primo monenda sunt de Inflammatione orta a tali caussa; cum dein probandum sit, non in merito labem venereum muliebrija occupantem, caussarum numero adscribi-

Quamvis ad Inflammationem in corpore producendam requirantur quædam peculiares conditiones, sæpè tamen absque iis in nonnullis partibus Inflam-

ma-

mationes oriuntur, quæ ex corporis prædisposito habitu repeti non posunt.

Ut enim producatur Inflammatio, auctus vasorum tonus, et major sanguinis vis plastica requiruntur (25), et quo magis hæ conditiones vigent, vel in toto corpore, vel in parte quadam, eo vehementior exsurgere solet Inflammatio.

Verum constans observatio abunde docuit, non tantum Inflammationem posse oriti, ubi hæ conditiones non ita vigent, sed et ubi manifeste contrarium obtinet, ita quidem ut Inflammatio locum habeat, quamvis cordis et vasorum vis vitalis diminuta sit.

Piorem Pathologi vocant Inflammationem Activam, posteriorem autem Passivam.

Talis passiva Inflammatio imprimis repetenda est ex dupli fonte, vel ex acri quodam stimulo, parti sensili applicito, vel ex partis debilitate.

Si ab acri stimulo oriatur talis Inflammatio, eadem symptomata in parte affecta observantur, ac si

(25) Conf. HUFELAND lib. Laud. pag. 303.

26 DISSESTITO MEDICA

cotum sistema vasculare simul consentiat; rubor enim, calor, dolor, tumor, manifesta sunt, quæ symptomata ab irritatione locali orta, illico tolluntur, simulac stimulus ictus redditus sit.

Quodsi ejusmodi irritamentum applicetur membranis, quæ glandulis scatent, mucum peculiarem secernentibus, primo auget secretionem materiæ mucosæ, dein mutatur hocce stimulo actio glandularum in humoribus secernendis, unde mucus secretus blandam suam crasin amittit, et quoque stimuli vice fungitur ad partes vicinas irritandas, et inflammandas.

Hinc quoque summo jure Doct. WARE materiem, quæ in hac recens Naturum Inflammatione secernitur, non considerat tanquam pus, sed solummodo tanquam materiem ipsam mucosam, cuius quantitas, et qualitas propter stimulum applicatum augetur, et mutatur.

Idem nempe hic accidit, quod in urethra locum habet, si miasma venereum applicetur glandulis muciparis, et gonorrhœam producat: ratione effectuum idem salutamus in coryza, et

Ca-

catarthro, quando materies rheumatica ad membranam parum internam, pulmonum, et pleuræ deponatur, ibique passivam excitet Inflammationem.

A debilitate partis cuiusdam etiam Inflammatio passiva oritur, quia sanguis lentius movetur in hac parte debilitata, et ibi stagnat, unde necessario sequitur, sanguinem velocius moveri in reliquis corporis vasis, respectu habito ad hanc partem debilitatam; hinc reactio cordis et vasorum, et appulsus sanguinis ad hanc partem debilitatam aucta sint, necesse est, quare Inflammatoria symptomata hic oriri debent: exemplum habemus in contusionibus.

Quodsi haec, quæ jam proposuimus de varia Inflammationis tam activæ, quam passivæ natura, comparentur cum descriptione Ophthalmiæ capite primo tradita, et in mentem revocetur, imprimit debiles, laxos et impura labe inquinatos hac corripi, simulque attenta mente symptomata nostræ Ophthalmiæ, cum modo memoratis Inflammationis Passivæ impuræ comparentur, a vero alienum vide ri nequit, si statuamus, hanc recens Natorum

Oph-

Ophthalmiam esse naturæ Inflammationis passivæ, et summa cum probabilitate in multis casibus ab acri applicito posse derivari.

§. V.

Huic opinioni major certitudinis gradus conciliatur, si jam secundo loco indagetur, num matres venerea, si in muliebribus tempore partus obvia sit, possit reponi inter caussas.

Quamvis dentur Medici, inter quos primas tenet Doct. SIEBOLD, (26) qui numquam sese hunc morbum observasse affirment, quin matres suis venereæ evidentia gererent vestigia, illi tamen, ultra quam par est, processisse mihi videntur, cum illud, experientia teste, tantum affirmari liceat, caussam venereum pluries hic latere, quam quidem illud prima fronte quis crederet; saltem illud eo confirmari videtur, quod raro admodum obvius veniat hicce mōrbus, ratione frequentiæ caus.

(26) Conf. STARKS Archiv. Tom. IV. pag. 558.

causarum, quas ex mente quorundam Auctorum recensuimus, et si occurrat, præ cæteris Infantes tenuioris fortis adoriatur, quorum matres, si res domesticæ attente considerentur, vitæ dishonestæ suspicione non prouersus carent.

Quæstio hic exsurgere posset illa, an ad producendam tales Ophthalmiam venereum necessario requiriatur topica affectio venerea; an non potius ex degenerata, et venerea humorum indole, quibus Infans in utero materno nutritur, oriri posset hæc Ophthalmia, tanquam sequela corruptionis universæ humorum, ita ut non necesse sit, matrem habuisse in muliebribus affectionem venereum, dum Infans nasceretur?

Quodsi feminæ labe venerea affectæ prolem, graviditatis periodo absoluta, pariant, observatio quidem docuit, tales liberos debiles et emaciatos esse, numquam autem propreterea symptomatibus, lui venereæ propriis, obnoxios esse, eoque tantum in casu venereo morbo corripi, si mater in muliebribus venereas habuerit affectiones.

Infantes enim, labe venerea correpti, numquam

si-

30 DISSE^TRAT^IO MEDICA

mulac in lucem editi sint, symptomata venerea ostendunt, sed fere semper post diem natum i o m u m et ultra; ut adeo exin probetur, morbum oriri a causa quadam topica venerea, durante partu, applicita.

Doct. GIRTANNER (27) perspicue hæc etiam confirmat, cum testatur, quod omnes Infantes venerei, quos larga copia viderat, nascerentur absque ullis signis venereis, in quibus tamen hæc post aliquot dies erumpabant.

Eodem modo de hac re mentem suam explicat Doct. HAHNEMAN (28), ita ut roget, an quis unquam observaverit in Infante momento partus vitia, quæ virus venereum intra humores absorptum fuisse declarabant, et iterum topicas affectiones exin fuisse obortas, quo pertinent exulcerationes glandularum in faucibus, ulcera et exanthemata cutanea quævis?

Si igitur consideremus cutem Infantis nascituri esse tenerimam, adeoque infectioni venereæ idoneam,

im-

(27) Conf. GIRTANNER l. l. pag. 180.

(28) Conf. S. HAHNEMAN Über Venerisch. Krankh.
pag. 274.

imprimis si hic vel illie pars quædam vel nullo, vel tenui saltem epithelio tecta fuerit, mirari non amplius potest, quod, si matres tali vitio instructæ sint, palpebrarum marginibus materies venerea acris se se infusat, ibique post aliquot dies Inflammationem ita dictam impuram producat, æque ac illud in aliis partibus ab hac caufsa conspicitur.

Imo omne fere dubium observationes Quorumdam tollunt, quod illa Ophthalmiæ species, quæ *Venerea ab Infectione locali* vocatur, quoad sedem et symptomata cum modo exposita recens Natorum conveniat.

Doct. enim HAHNEMAN (29) eam ita delineavit, ut consistat in tumore palpebrarum, imprimis superiorum; oculi in initio sicci sint, dein vero acrem, sæpe viridescentem materiam magna quantitate fundant, et inter se invicem conglutinentur; notat simul, raro exin vitia oriri, quæ oculi bulbum devastare solent.

Ita quoque adserit Doct. DOUBLET (30) quod

in

(29) HAHNEMAN l. c. pag. 275.

(30) DOUBLET l. c.

32 DISSERTATIO MEDICA

in Ophthalmia venerea loci serosi palpebrarum
Inflammatio obseretur, quæ non raro progressu
morbis in purulentam oculi Inflammationem mutatur,
in tempore autem medela debita adhibita, nullum
adserre solet periculum.

Quibus accedunt etiam Doct. COLOMBIËR
(31) & GIRTANNER, (32) qui inter primaria
Iuis venereæ infantilis symptomata Ophthalmiam
recensent.

Concludimus igitur ex disputatis, verosimillimum
esse, quod iis in casibus, ubi matres omni suspicione
labis venereæ non erant immunes, hæc Ophthalmia
recens Natorum produci possit non tantum, verum
etiam debeat, si muliebria qualicumque ratione
venerea materie, dum Infans nasciturus ea transiret,
essent inquinata; cum simul statim, reliquas enu-
meratas caussas, quas Doct. SCHÄFFER & ARM-
STRONG addaxerunt, imprimis si accedat dispositio
quæ

(31) COLOMBIËR De morbis Venereis Neonatorum.
Prostat hæc tractatio in actis Societ. Reg. Med.
Paris. Aⁱ 1797. pag. 184.

(32) GIRTANNER l. c. pag. 176.

quædam cachectica vel scrophulosa, eam quidem posse producere, tamen, si ubivis hæ unice tanquam cauſſæ deberent considerari, morbum & que frequenter obſervari debere, quam cauſſæ, quibus adſcribi ſolet.



CURATIO.

CAPUT III.

§. I.

Ex iis, quæ jam de Inflammationis paſſivæ in dolore exhibuimus, et quæ de hac noſtra Ophthalmiæ ſpecie diximus, ratione cauſarum probabilitum, e quibus pendere ſolet, ultro liquet, illa curatiōnis momenta eſſe conſideranda, quæ in Inflammatione ejusmodi impura uſui veniunt.

Dantur quidem Medici, qui ſemper hanc Oph-

C

thal-

34 DISSESSATIO MEDICA

chalmiam levem adeo observaverint, ut remediorum usu vix opus esset; Doct. enim ARMSTRONG affirmit, omnes, quos unquam tractaverat, sanari, si tantum lene purgans adhibeatur cum lotione diligenti palpebrarum parum adstringente, ita Doct. LÖDER etiam Jenæ multos, eosque facili negotio curatos vidit.

Quorum Virorum experientiae nihilominus opponi possunt observationes Doct. SCHÄFFER, & WARE, ex quibus elucefecit, vitam Infantis sæpe numero periclitari, imprimis si vel Medici vel Parentes hunc morbum parum æstiment & nullam adhibeant efficacem medelam, usque dum morbus altas jam egerit radices, oculique bulbum adgressus fuérit, & ita novum ex priori vitium produixerit.

Si quis igitur curam rationalem adhibere velit, hæc quatuor curationis momenta perpendat, ne cesset est.

I^{mo} Vis Inflammationis infringenda est.

II^{do} Impetus humorum ab oculis derivandus.

III^{tio} Præternaturalis aucta glandularum secretio imminguenda.

4^{to} De-

IV^{to} Denique partes Inflammatione debilitates
foborandæ sunt.

§. II.

I^{mo} Quod ad hanc attinet indicationem, huic
optime satisfieri potest topica vasorum evacuationes
sæpenumero enim ex tali stimulo acri tanta exci-
tatur vasorum diathesis Inflammatoria, ut non so-
lum ea in vicinis partibus vigeat, verum etiam to-
tum systema vasculare in consensu rapiatur: hoc
in casu nullo modo efficacius infringitur reactio
vasorum Inflammatoria, quam hirudinibus applicitis
venæsectiones generales in tali Inflammatione sco-
pum propositum non attingunt, quia Inflammatoria
palpebrarum conditio non deducenda est ex totius
Systematis sanguinei conspirante diathesi, cum po-
tius reliquum sistema contrarium indicet.

Conducunt igitur hirudines temporibus vel ocu-
lis appositoræ, quæ leniter vasa sanguine turgentia
exonerant & spasticam illorum constrictionem tol-
lunt;

36 DISSE^TAT^O MEDICA

junt; insigniter quoque hirudinum usum laudavit Doct. KORTUM (33), qui illas adhibebat semper cum fructu, si Inflammationis vis nimia esset.

Hirudines absque noxa applicantur in hac re-
cens Natorum Ophthalmia, æque ac in reliquis
speciebus, quare cum Expert. VAN DER HAAR
(34) affirmari liceat, in quavis Ophthalmia, ab acri
oborta, hirudines oculis oppositas plus boni præ-
stare, quam repetitas Venæsectiones.

Sufficit in nostro casu unam hirudinem tempo-
ri applicare, cum tamen ejus utilitas ex ipsa In-
flammatione sit dijudicanda.

Sæpen numero impetus Inflammationis non cor-
rigitur evacuatione sanguinea, verum potius appli-
catione remediorum involventium; hæc quippe non
tantum acre irritans involvendo iners reddunt, ve-
rum etiam sensilitatem partium affectarum nimiam
tollunt, unde sperato successu raro carent.

Rejiciunt quidem illorum usum Doct. SCHÄF-

F E R

(33) C. G. T. KORTUM l. c. tom I. pag. 113.

(34) v. d. HAAR, Heelkund. Waarnem. 32.

TER & WARE, qui laudant statim Adstringentia, quorum vim juxta morbi indolem moderabantur; libenter tamen Doct. KORTUM & VOGELIO (35) largimur, impune remedia emollientia hic negligi non posse, & miro modo conducere, si ab initio adhibeantur: hinc quævis fomenta emollientia & collyria egregie inservire possunt. Doct. KORTUM optimum vidit effectum fomenti, quod ex pulpa pomorum conficiebatur, cui ad finem morbi parcam Camphoræ & Croci quantitatem addebat ad vires restaurandas. Hinc quoque suadet Expert. FRANK (36) ut, remotis causis, lac recens & sanum, ex ubere matris obtentum, oculis instilletur, vel hujus loco decoctum quoddam emolliens; ita Doct. MICHAËLIS (37) narrat, quod ex Medico quodam FRIED, Argentorati praxin exercente, intellexerit, sese hunc morbum pluries curas.

C 3

se

(35) S. G. Vogel, l. c. tom. IV. pag. 93.

(36) J. P. FRANK, de cur. hom. morbis lib. II. p. 80.

(37) MICHAËLIS, in notis ad versionem Germanicam operis Doct. DEASE antea citati.

38 DISSERTATIO MEDICA

se oculos lavando lacte materno, dum in graviori casu matri ac infanti lenia propinaret evacuantia.

Quidam jure hic usum combinatum remediorum emollientium cum Opiatis laudant; imprimis si spastica vasorum contractio adsit, quæ emollientibus vinci nequit; hinc grana quædam Opii cum emolumento hisce fomentis addi possunt; Doct. WARE jubet, quod guttula Laudani Liquidi Sydenhami semel vel bis de die oculo instilletur, si suppurationis vehemens sit, & dolor gravis urgeat.

Non raro accedit, quod hæc Ophthalmia, inutiliter hisce remediis applicitis, continuet, & Inflammationis chronicæ formam induat ex partium affectarum debilitate derivandæ; hoc in casu optime Adstringentia, prudenter adhibita, remediorum Inflammationem corridentium vices gerunt, unde imprimis collyria ex parca sacchari Saturni, Aluminis vel florum Zinci quantitate parata conducunt, vel lotiones ex herbis leniter Adstringentibus laudari merentur; ita Doct. ARMSTRONG commendat Infusum Verbenæ officinalis, dum Doct. DEASE lotionem e floribus Chamomillæ magnopere extollat, morboque ad finem

ver-

vergente parcari sacchari saturni quantitatem immisceri jubeat.

Impetum Inflammationis etiam avertimus, si operam demus, ne materies illa purulenta diu stagnando intra palpebras acreius notam contrahat, & ita partes jam nimium sensiles morbose afficiat; hinc palpebrarum conglutinatio, quantum id fieri potest, impedienda est, ut facilius materies haec exoneretur; hunc in finem suadent linteo carpto, Cerato Saturni illinito, palpebras separare: purulentus ille humor saepe propter visciditatem intra palpebras remanet, quamvis illæ non plane clausæ sint; hoc in casu adhibere solet Doct. W A R E lac, in quo parca bunti insulsi quantitas soluta erat.

Denique cum oculi admodum sensiles sint ad stimulum lucis nimis serenæ, conductit ad Inflammationem cohibendam, ut, quantum id fieri possit, lux nimia arceatur, Infantes degant conclavi obscuro et si huic exponi debeant, oculi tueantur fascia.

§. III.

II^{do} Versatur hæc curæ pars in derivando humorum impetu ab oculis; medicamenta autem, quæ eam absolvunt, duplia, interna, & externa recenseri debent.

Cum autem ea in partibus irritabilibus, teste CL. HUFELANDIO (38), lex obtineat, stimulum debiliorem suffocari, & reactionem morbosam partis affectæ tolli, si alio systemati irritabili fortior stimulus applicetur, quo simul humores allicantur ad illum locum, ultro liquet, egregie hic infervire remedia leniter Purgantia, ut Rhabarbarina, Mannata, & varia Salia Media, quibus utiliter Absorbentia copulari possunt, si manifesta acidi indicia in primis viis adfint. Hæc imprimis conducunt, si Infans alvadura laboret, & meconium nondum deposuerit. Doct. SCHÄFFER parcas Tartari Emetici doses utilissimas deprehendit, si Infantes acido laborent:

Emetica autem hic non tantum indicantur ad pri-
mas

(38) HUFELAND, l. c. pag. 159.

mas vias a fôrdibus liberandas, verum egregie con-
ducunt in scrophulosis propter concussionem, quam
in toto corpore producunt, unde sistema lymphati-
cum & glandulosum excitentur ad humorum indolem
depravatam corrigendam.

Clysmata multum boni præstare, observarunt plu-
res, si præparentur ex substantiis parum irritan-
tibus.

Hic quoque illa remedia in censum venire de-
bent, quæ proprie humorum vitiata in dolem emen-
dare valent, nam huic Ophthalmiæ sœpe subest vitium
scrophulosum, aliquando syphiliticum, quibus re-
tardatur ejus cura: hinc attenta mente consideret,
necessæ est, Medicus habitum Infantis, ut detegat,
an peculiare quoddam vitium in corpore delitescat,
simulque perpendat cum Doct DOUBLET, virus
venereum, si accusandum sit, in Infantibus variam
adsciscere formam, eamque sœpe fallentem, unde
illorum vita in summo versatur periculo.

Omnem hic paginam absolvunt parcæ remediorum
Antimonialium & Mercurialium doses, uti sulphuris
aurati antimonii, kermes mineralis, mercurii dul-

cis, aethiopis mineralis &c. quæ tamen prudenti manu exhiberi debent.

Ne quis tamen in ea versetur opinione, hic ideo antivenerea esse usurpanda, quia hæc Ophthalmia in quibusdam casibus sit deducenda ab infectione venerea, & mox illam auferri posse, si talia interne vel externe pro re nata exhibeantur.

Consideret is mecum oportet, quod materies venerea, si offendat superficiem quamdam nostri corporis, vel epidermide destitutam, vel tenui tantum tectam, & multis cryptis glandulosis instructam, organa hæc secernentia irritet, eorumque secretionem augeat, usque dum stimulus ille cum muco secreto eliminetur, vel organa ex consuetudine in hunc stimulum non amplius reagant; hæc symptomata non mutantur, licet stimuli appliciti varient, si modo partes, quibus admoventur, ejusdem indolis sint; constans enim Medicorum observatio evicit, eodem modo in urethra excitari posse Blennorrhagiam injectione ammoniæ liquidæ vel depositione materiæ cujusdam irritantis arthriticæ vel scrophulose ad hunc locum, ac illud post applicitum miasma venereum observamus.

Com.

Comprobatum præterea hisce diebus habemus, raro si umquam in sola affectione glandularum mucipararum urethræ ex stimulo venereo absorptionem locum habere, & luem venereum sequi, nisi simul detur continui in partibus affectis solutio, qua vasa disrupta facilius absorbeant materiam irritantem, eamque humoribus misceant; enumerantur quidem aliæ quædam conditiones, quæ absorptioni miasmatis venerei in gonorrhœa favere dicuntur, ut frigus subito admotum, regimen vitæ nimis calidum, morbosa corporis conditio; verum hæc valde dubia sunt, & sere semper copulantur cum læsione partium affectarum, unde majori cùm probabilitate oborta lues derivatur.

Doct. enim HAHNEMAN (39) uberrima experientia sibi constare affirmat, quod numerus illorum, qui ex mera gonorrhœa lue venerea afficiantur, tam parvus sit ratione habita luis venereæ, quæ ulcera venerea insequitur, ut vix nominari liceat.

Ex hisce jam sequitur, hanc affectionem erythe-

ma-

(39) Conf. HAHNEMAN l. c. pag. 160.

matosam, stimulo venereo productam, unam eandemque esse cum quibusvis Inflammationibus hujus generis, si modo partes affectae convenient; unde jam cuivis palam erit, curam eandem esse instituendam, quam omnes hujus naturæ Inflammationes requirunt.

Si quis enim vellet nostram recens natorum Ophthalmiam, evidenter a causa venerea productam, curare Mercurio interne dato, hic animadvertisat prius, caussam occasionalem extra humorum massam contineri, adeoque Mercurium vires suas ad miasma delendum exferere non posse: externe autem Mercurio applicito, forsitan quis putaret, egregie miasma venereum iners posse reddi, de quo cum nonnullis Auctoribus dubitare licet; nemo praeterea inficias ibit, Mercurium acredine sua interdum irritare, & Inflammationem augere posse.

Mirandum igitur non est, tot dari Medicorum observationes, qui post talem intempestivum remediorum Mercurialium, interne vel externe assumentorum, usum viderint in simplici gonorrhœa, quod glandulæ inguinales, ac testiculi intumescerent &

lues insequeretur, manifesto indicio absorptionem
iis fuisse promotam.

Convenit ergo in nostra Ophthalmiæ specie,
si venerea sit, cura Antiphlogistica, quæ usu ex-
tremo in simplici gonorrhœa comprobata est, reme-
diis enim ex hac classe materies acris involvitur,
& nimia sensilitas partium temperatur; hanc quo-
que opinionem amplexus est Doct. KOCH (40),
affirmans, hanc Ophthalmiam, licet venereum, opti-
me posse curari absque remedii Antivenereis,
suader tamen eo in casu, quod mater ubera In-
fanti non amplius præbeat, sed sana nutrix eliga-
tur.

Satis laudari nequeunt emplastra vesicantia, pone
aures applicata, ad humorum impetum ab oculis de-
rivandum, quæ diu applicanda sunt, ut lenem sup-
purationem producant.

§. IV.

(40) Conf. KOCH l. c. tom. V pag. 309

§. IV.

III^{ta} Indicatio consistit in moderanda præternaturaliter aucta glandularum secrezione; quodsi autem suppuratio, sive potius secretio glandularum nimia, devicta licet phlogosi, continuet ex debilitate, conducunt egregie Adstringentia.

Variæ collyriorum formæ laudantur ab Auctoriis hunc scopum attingentium, ita Doct. GIRTANNER collyrium laudat ex gr. III Extr. Saturn., gr. I Vitrioli Albi, & unc. II Aquæ Rosarum, aliæ quoties de die guttatum oculis instillandum. Doct. WARE, Aliisque summopere extollunt Aquam ita dictam Camphoratam, cuius formula prostat in Dispensatorio Boreano.

Enumerare possem alia remedia, usu Medicorum comprobata, quæ huic scopo inserviunt, verum omnia in eo consentiunt, quod petita sint e classe remediorum jam indicata, quorum efficacia pro re data dosi vel majori vel minori temperatur.

§. V.

§. V.

IV^{to} Denique cogitandum est de partibus hisce affectis roborandis: illud quidem absolvi potest iisdem remediis, quæ jam ad secretionem nimiam moderandam recensuimus, verum magis activa adhiberi possunt ex eadem classe petita, uti præparata quævis Saturnina, Vitriolum Album, Alumen, Zincum, & ita porro.

Dotes harum partium mechanicæ non tantum Adstringentibus sæpe restituendæ sunt, sed & simul vis vitalis torpor Excitantibus curandus est: hinc eximio usu sese probarunt Oxyda quædam Mercurii unguenti forma adhibita, sed accurate Butyro insulso, vel Axungia porcina subacta, ne acrimonia lædant: hunc in finem C. L. HUFELAND (41) aliam communicavit methodum, Mercurium præcip. Rubr. in oculorum morbis exhibendi; sumit scil. æquales partes Butyri insulsi, Ceræ flavæ, & Mercurii Præcip. Rubr., hæc inter se invicem non miscere jubet,

diu

(41) Conf. HUFELAND Journal der Heilk. tom iv. p. II.
pag. 365.

diu terendo, sed leni igne deliquescendo; Butyrum & Ceram ita melius involvere particulas minimas Mercurii, & majorem ejus quantitatem impune applicari posse, experientia sese didicisse testatur.

Caute tamen in hisce Mercurii remedii versandum est, ex irritatione enim, quam sine dubio inducunt, de novo excitare possunt Inflammationem, imprimis si nimis cito, nondum devicta phlogosi, in usum vocentur; hinc quantocytus seponenda sint, si sperato successu destituantur, & illa remedia adhibenda, quæ supra indicavimus.

Quodsi oculus ipse vitia ex hac palpebrarum Inflammatione contraxerit, quæ remediis laudatis tolli nequeunt, sed manu curanda sunt, easdem regulas observet Medicus, quæ in Chirurgorum operibus celebrantur; quare ne magis indolem & curam Ophthalmiæ generalis, quam specialis Neonatorum delineasse videar, demittendos esse L. B. censeo ad illorum scripta, qui de industria hanc partem elaborarunt.

OBSERVATIONES.

Obs. I. Infans sanus secundo post natales die illico palpebrarum tumore afficiebatur, quæ statim arête claudebantur; die sequenti ex oculis effluebat matteries purulenta flava, imprimis ex canthis internis; die xxiii ætatis, occasione mihi ablata Infantem visitandi, adhuc insigniter tumebant, & rubebant palpebræ, ita ut bulbus ipse nulla ratione conspici posset; Infans ceterum optime valere videbatur, præterquam quod in cute apparuerit exanthema pustulosum.

Adhibitis interne remediis Evacuantibus & externe collyriis compositis ex Emollientibus & Opiatis, non tantum palpebrarum tumor, sed et secretio humoris purulenti emendata est, ita ut, elapsis xviii diebus, oculi perfecte sanati essent.

Obs. II. Infantem ex patre sano & matre manifeste scrophulosa, quæ simul ultimis graviditatis mensibus fluori albo fuit obnoxia, examinavi, post puerperium hoc morbo mater fuit liberata, sed Ophthalmia scrophulosa correpta.

Infans primis vitæ diebus alvum diu habuit duram, quæ non nisi remediis purgantibus soluta fuit; tenaci pirituosa materie redditæ. Inquietudine ac molestia matrem cum vexaret, mixturæ anodynæ larga copia ei exhibebantur ad somnum conciliandum. Post

Post diem natum 8vum levi palpebrarum oculi dextri Inflammatione corripiebatur, quæ sibi relicta post trium septimanarum spatium sponte sanata est, nulla oculi læsione manifesta remanente: palpebris oculi dextri sanatis, mox afficiebantur alterius oculi palpebræ, quarum Inflammatio jam tres septimas duraverat, antequam Infantem videndi occasionem habebam,

Palpebræ non multum tument, uti illud ordinarie accidit, quare conglutinatio raro in iis obtinet, margines admodum rubent, & materiam purulentam copiose fundunt tenacem, & flavam.

Infans cæteroquin debilis & emaciatus est, scrophulosum manifestans habitum: laborat simul exanthemate in dextra faciei parte & aphthæ copiosæ os adimplent.

Quod ad causam occasionalem attinet, nihil certi statuere licet; forsitan ea in rheumate suscepto quaerenda est; parentes enim affirmant, Infantem symptomata quædam catarrhalia exhibuisse, & Ophthalmiam hanc apparuisse post Baptisma tempore humido ac frigido celebratum.

Usu remediorum supra indicatorum Ophthalmia fere sanata est, quamvis debilitas & reliqua inde fluenzia mala roborantibus adhuc corrigenda sit.

F I N I S.

POSITIONES MEDICÆ.

I.

*M*inime Clar. FOURCROY concedimus, experimentis ab eo institutis probari, bitem qua talem sanguini inesse.

II.

Quamvis bilis, chemice considerata, substantia saponacea dici mereatur, tamen saponis vice in corpore animali fungi non videtur.

III.

Bilis a Recentioribus merito consideratur, tamquam humor excrementarius systematis sanguinei.

IV.

Quod oxygenium, quibusdam substantiis ultra saturationis terminum unicum, non tantum non augeat, sed potius diminuat acidi notam, La. voisierii theoriæ non repugnat.

V.

Phosphorum conflagrari in gaz Azotico, ex Ammonia, ope acidi Muriatici oxygenati obtento, nullo modo everuit theorium de Aëris vitalis ad combustionem necessitate.

VI.

Vegetabilium defoliationem optime explicamus ex eo, quod folia propriam agant vitam.

VII.

VII.

Callum, cuius ope ossa fracta consolidantur, esse substantiam secretam vasis peculiari Vis Vitalis modificatione instrutis, probabile omnino videtur.

VIII.

Opinio BLUMENBACHII, qua statuitur, præter Ureteres adhuc alias dari vias clandestinas ex intestinis ad organa Uropoietica multis premitur difficultibus.

IX.

Repetita Venæsectione augetur Plethora.

X.

Medicamenta quædam immediate agere videntur in solida viva, quædam in fluida nostri corporis.

XI.

Cf. HAHNEMANNI opinionem, qua statuitur, in multis casibus Luem Venereum remediis mercurialibus non curari, nisi quatenus iis peculiaris febris excitetur, qua miasma Venercum deletur, non omni probabilitate destitutam esse, credo.

XII.

Datur febris vere putrida a saburrali diversa.
